Quelle: http://manuscripta.at/?ID=387
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

contenderent. cum contra nichil prodesset christus eis qui eo animo
circumciderentur. ut ibi esse salutem putarent. unde est illud. Ecce
ego paulus dico uobis quia si circumcidamini christus uobis ni
chil proderit. Ex hac ergo libertate paulus patrias obseruationes
obseruauit. hoc unum cauens et predicans. ne sine his salus
christiana nulla putaretur. Petrus autem simulatione sua tamquam
in iudaismo salus esset cogebat gentes iudaizare. quod uerba pau
li ostendunt dicentis quomodo gentes cogis iudaizare. Non enim
cogerentur nisi uiderent eum sic ea obseruare quasi preter illa
salus esse non posset. Petri ergo simulatio libertati pauli non est con
paranda. Et ideo petrum amare debemus libenter correctum non autem
astruere etiam de auctoritate pauli mendacium. quia et petrum co
ram omnibus in rectam uiam reuocauit. ne gentes per eum iudaizare
cogerentur. et ipse sue predicationi attestatus est. Qui cum putaretur hos
tis patriarum tradicionum eo quod nolebat eas imponere gentibus.
non aspernatus eas ipse more patrio celebrare. satis ostendit
hoc in eis christo adueniente remansisse ut nec iudeis essent per
niciose. nec gentibus necessarie. nec iam cuiquam hominum salu
tares. Quod si auctoritas mentiendi nec de antiquis libris pro
ferri potest. uel quia non est mendacium quod figurate gestum
dictumue recipitur. uel quia bonis adimitandum non proponitur.
quod in malis cum profecerint in peioris comparatione laudatur.
nec de noui testamenti libris quia correctio potius quam simu
latio sicut lacrime potius quam negatio petri estimanda. iam
illis exemplis que de communi uita proferuntur. multo con
fidentius asserunt non esse credendum. Prius enim docent
iniquitatem esse mendacium multis documentis litterarum sacra
rum. et eo maxime quod scriptum est. odisti omnes qui operantur iniquitatem.
perdes omnes qui locuntur mendacium. Aut enim ut solet scriptura
sequenti uersu exposuit superiorem. ut quam latius solet pate
re iniquitas. intelligamus nominato mendacio tamquam spe

Uel de communi uita pro exemplis
latis non sit credendum ut
quasi mentiatur. et quibus menda
cium aut sit species iniqui
tatis. aut per.